

Tom: LXVI. Miscell:

~~G.H. 10.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

17-18.

VITEBERG.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

נבדק

DISPUTATIO I.
IN CAPUT LIII.
ESAIÆ,

*In qua Controversia, de SUBIECTO
capitis ADÆQUATO, contra Judæos, discu-
vienda proponitur,*

In Electorali ad Albim Academia,

AUCTORE AC PRÆSIDE

IOHANNES FORSTERO

S S. Theologiæ Doctore & Pro-
fessore publico.

RESPONDENTE

M. JOHANNES ECCIO

Suinfurtensi, Fr.

ad diem 29. Augusti horis locoq; consuetis.



WITTEBERGÆ,

Typis Joh. Gormanni, Anno 1610.





VIRIS

AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS
ET CONSULTISSIMIS,

Dn. ERHARDO SCHNEI-
DERO,

Dn. IOANNI CRAMERO,

Dn. CHRISTOPHORO
CREBSIO,

Imperialis Reipub. Suinfur-
tensis Senatoribus dignissimis, tutoribus
& patronis suis debitâ animi subje-
ctione colendis.

Exercitium hoc Theologicum

grati & obedientis animi signum
exhibet

Respondens.



PRÆFATIUNCULA

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΤΑΣΤΙΚΗ:

THEMATION I.



Aud pauca sunt ἀξιώματα, autorita-
tem præclaram & eximiam Pro-
phet-Evangelistæ nostro Esaia
conciliantia.

I I.

Inter illa verò non ultimum
sibi locum vendicat, quòd Hiero-
nymus interpres Scripturæ cele-
bratissimus isthoc complexus est aphorismo:

*Nullusq; putet me voluminis istius argumentũ brevi ca-
pere sermone comprehendere, cum universa DOMINI
Sacramenta præsens Scriptura contineat: Et tam natus
de virgine Emmanuel, quam illustrium patrat or operũ
atq; signorum, mortuus ac sepultus; & resurgens ab
inferis, Et Salvator universarum gentium predicetur.*

*In Proœmio in 1. Comment. Esaia ad
Eustochiam Virginem.*

III.

Digitum nempe indicem intendit potissimùm in
cap. VII. & IIX. Operis illius Prophetici, in quibus de con-
ceptione & nativitate Immanuelis nostri IESU CHRISTI,
nec non in caput ejusdem LIII, in quo de morte, sepultu-

A 2

ra, re-

ta, resurrectione &c. univerfarum gentium Salvatoris vaticinia extant luculentissima,

IV.

Quemadmodum verò in ceteris Codicis Biblici Scriptis prima omnium cura suscipienda est, de ὑποκειμένων γένει, id est, de subjecto adæquato vel de eo, de quo SPIRITUI S ANCTO inibi sermo est: ita etiam in ἐξηγήσει capitis LIII. Esaiæ opera cum primis danda est sedulo ac diligenter, ut ὑποκείμενον γένος illius solide & stabiliter constituatur.

Investigatio
ὑποκειμένων
γένος summè
necessaria.

V.

Exemplum habemus Act. 8, 34. ubi Aethiops Eunuchus Dynasta Candaces veram ac genuinam istius capitis interpretationem anxie inquirens, primò omnium de subjecto ejus adæquato erat sollicitus,

Obsecro te, (inquiens ad Philippum) DE QUO
Propheta dicit hoc, de se, AN DE ALIO
QUOPIAM.

VI.

Et sanè eò magis hîc laborandum, quòd res isthac valde controversa, inter Christianos CHRISTIQUE hostes ἀσπόνδους Judæos.

VII.

Ut autem debitâ animi observantiâ istud πολυθρύλλητον (a) Naxianzeni πείξισ ἡμάρτω iterum attendamus: ad tria utique capita πραγματείας presentem revocare fert animus. (a) Apol. 1.

IIX.

Primò, quòd Iudæi Caput. LIII. Esaiæ torqueant, recensimus.

II. Fal-

IX.

II. Falsas & erroneas eorum opiniones redarguemus.

X.

III. Christianorum interpretationem exponemus.

XI.

IV. Eandem firmis & immotis Scripturae fundamentis astruemus.

I.

Iudæorum Opiniones

recensentur.

XII.

Quod vulgò dici solet τὸ ψεῦδος πολυχειρές: id in hac etiam Controversia cum Iudæis ὀφθαλμοφανῶς videre licet.

XIII.

Quot enim capita: tot etiam ferè inter illos sunt de subiecto capitis LIII. Esaiæ adæquato, sententiæ.

XIV.

In hoc quidem summa inter ipsos *consensio*, ut quantum in se, illud à SALVATORE nostro, IESU Nazareno, aliò detorqueant. τὸ αὐτότης
quoad termi-
num A
QUO.

XV.

De termino autem, ad quem Prophetia illa tam illustris torqueri possit ac debeat, *dissensio* inter ipsos non est exigua. ἡ ἀφορὰ
quoad termi-
num AD
QUEM.

XVI.

Et proinde eos non absimiles quis dixerit vulpeculis Samsonijs, caudis quidem invicem conjunctissimis: capitibus verò disjunctis.

Iud. 15. 4.

A 3

17. Pos-



XVII.

Due classes opinionum Hebræorum. Possunt tamen, τῆς ἐπιταξίας ἕνεκα, distribui in duas classes primarias, quarum priori somnia Veterum: posteriori opinionem Recentium Hebræorum accensemus.

XVIII.

I. Somnia Veterum quadruplicia. Hebræorum Veterum somnia in quadruplici potissimum sunt differentia.

XIX.

1. Quidam enim putant Prophetam in capite isthoc de seipso loqui.

XX.

2. Nonnulli exponunt illud de Serubabele, primo Judæorum duce, post exilium Babylonicum, cum quo ingens Judæorum multitudo in Iudæam profecta est.

Efra. c. 2.

XXI.

3. Alij interpretantur illud de *Efra* (סוּפֵר מְהִיר בְּהוֹרֶת מִשָּׁה) qui locum gratiæ primum apud Artaxerxem Longimanum obtinuit, alter à Serubabele, qui magnum populi numerum in Iudæam reduxit. *Efra. 7.*

XXII.

4. Non desunt deniq;, qui Vaticinium illud præfigne transferant ad *Josnam* Iosadachi Filium, summum Sacerdotem, fidissimum Serubabelis parastatam. *Efr. c. 2. Hag. 1, & 2. Zach. 3, 4. & 5.*

XXIII.

II. Opinio Recentium. Recentium Hebræorum quæ sit opinio: ex his utique *Petri Galatini* verbis facile percipi perspicique potest:

Quamobrem omnes penè Recentiores, & præsertim R. David & R. Salomo, exponentes eadem Iesaiæ verba de ipso Iudæorum populo, omnia quæ in iisdem verbis conti-

conti-

continentur, videlicet, languores, plagas, despectus, ignominias, & cetera id genus, eidem populo applicant.
lib. VIII. c. 15.

XXIV.

Ea nimirum, quæ hoc capite commemorantur, per Synecdochen populo tribuunt Iudaico, post extremam Urbis & Templi vastationem, per universum terrarum Orbem hinc inde disperso, & variè afflicto.

I I.

Refutatio Iudæorum.

XXV.

At enim verò, ut ad refutationem Iudæorum progrediamur: istam jam eorum opinionem duobus modis expugnandam aggredimur.

*Refutantur
duobus modis.*

XXVI.

Et uno quidem ἀποφαίνωσ, ostendendo, quòd Prophetia *Esaia cap. LIII.* comprehensa, nullatenus applicari possit ac debeat Iudæis in novissima hac תורה constitutis.

XXVII.

Altero autem καταφαίνωσ, probando, quòd caput illud nemini alij possit ac debeat adaptari, præterquam Soli Messia, Iesu Nazareno Sospitatori nostro Συμνεσάτω.

XXVIII.

Quæ si ἀποδεικνύωσ evicerimus: non modò Recentiorum isthæc opinio ultrò concidet: sed veterum etiam Hebræorum somnia simul & semel evanescent.

XXIX.

Priorem δεξιῶ ἀποφαίνωσ Galatinus expedit tribus argumentis ex visceribus textus Prophetici de promptis:

I.
Prior Refutatio trib. arg.
non Galatini.

nos plura illis adjuncturi sumus; sed præmissis generali & Cardinali isthoc syllogismo:

In qua prophetia ejusmodi res tractantur, quæ populo Iudaico in exilio hoc novissimo etiamnum constituto non possunt applicari: illæ falsò, & non citra absurditatem, illi applicantur.

Atqui talis est Prophetia Esaie Cap. LIII.

Ergo.

XXX.

Major certa & firma est, neq; ulla indiget probatione.

XXXI.

Minorem corroboramus partim, tribus (b) Galatini argumentis: partim adhuc quatuor alijs, quæ itidem textus nobis Propheticus subministrat.

(b) lib. VIII. c. 15.

XXXII.

Recitamus Galatini argumenta, majoris evidentiae gratiâ, proprijs ipsius verbis.

XXXIII.

De Primo sic ille:

Primum illud est. Ipse autem vulneratus est, propter culpas nostras, contritus propter peccata nostra. Nam licet Iudaorum populus in captivitate hac multipliciter sit afflictus: id tamen non propter iniquitates & scelera gentium patitur. Ita ut gentes propter Iudaorum talia patientium merita, ipse à DEO salvata veniam recipiant, ut ipsi ajunt, qui asserunt, gentes verba hæc dicturas. &c.

XXXIV.

Secundum verò hunc in modum proponit:

Secundum verò est, cum Propheta de eodem servo DEI loquens,

loquens, ait, Eò, quod iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. Quod non solum de Iudæis apertè falsum est, ut per rei evidentiam liquidò patet. Eò quod pro majori parte sint omnes usuris, iniquitatibus, dolis, sortilegijs, maleficijs, alijsq; flagitijs immersi. Verum etiam ex testimonio Sacra scriptura evidenter habetur, quòd in captivitate hac novissima (ut alibi probavimus) non sunt nisi propter propria eorum scelera. Immo si de peccatis suis penitentiam agere vellent, statim (ut in sequentibus patebit) redempti essent.

XXXV.

Tertium ita edisserit:

Tertium deniq; est, cum de eodem servo DEI demum Propheta ait. Et pro peccatoribus exorabit. Quod de populo Iudaico in captivitate hac existenti, haudquaquam intelligi potest. Ipsi enim non solum non orant pro peccatorum aliarum gentium salute: sed potius pro earum destructione, & præsertim pro Romani Imperij & Ecclesia Christiana pernicie ac perditione, existimantes, quòd post Romani imperij defectionem, atq; Ecclesia Christi destructionem, se mox ab hac servitute & captivitate liberandos esse, ut alibi ostendimus.

XXXVI.

Reliqua quatuor argumenta ex visceribus textus Prophetici eruenda, singula singulis complectimur Prosyllogismis.

II. 4. argumenta alia ex textu.

XXXVII.

Ac primò quidem ex eo, quod dicitur v. 15.

Asperget gentes multas; super ipsum continebunt Reges os suum:

tale extruimus argumentum:

Populus, cujus vastitas ad extremum usq; Mundi finem perpetuò duratura, is nullo planè modo in tantam *et ego* exvehendus dici potest, ut etiam Reges gentium coram

B

co ob-

eo obmutescere oporteat: Atqui populi Iudaici vastitas
duratura est usque ad extremum Mundi finem, teste Da-
niel cap. 9, 27.

וער כלה ונחצה תהיה על שוקם :

Ergo &c.

XX XII X.

2. *Secundum* teximus ex hoc paragrafo ejusdem ver-
sus: Quibus non est narratum de EO, videbunt, & qui
non audierunt, contemplati sunt, subsumimus:

Atqui de Iudaeis, jam ultra mille & quingentos annos, in
miserabili exilio vagantibus, toti Mundo narratum fuit,
nec est ulla gens aut natio, qua, de statu illo Iudaeorum la-
mentabili, non audierit.

Ergo.

XXXIX.

3. *Tertium* petimus ex versu 7.

Oblatus est, quia IPSE VOLUIT, & non aperuit os su-
um: sicut OVIS ad occisionem ducetur, & quasi AGNUS
caram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.

XL.

Est verò tale:

De quo Esaias CAP. LIII. concionatur: is, agnelli pati-
entissimi instar, afflictiones sibi impositas portaturus di-
citur.

Atqui id in Iudaeos non quadrat.

Ergo &c.

XLI.

Assumptionem probamus tum $\gamma\omega\mu\iota\kappa\omega\varsigma$: tum iso-
 $\mu\omega\varsigma$.

$\gamma\omega\mu\iota$

XLII.

γυναικῶς ex *psalmo* LIX. qui expressè testatur, futurum, ut Iudæi suo in exilio *non ut agnus patiens* obmutescant: *sed ut canes* sævi cum fremitu murmurent, *versu* 7. 15. 16.

XLIII.

ισογυνῶς ex *narrationibus*, de ipsorum seditionibus, quas ducibus Theuda, Iuda Galilæo, Bencochabo, Mose Cretensi, & alijs concitârunt, eo fine, ut servitutis iugum suis ex humeris excuterent.

XLIV.

Licet id ipsum æstimare etiam ex *precatiuncula execratoria*, quæ Rabbi Samueli cognomento *שׁוֹפָרָה* tribuitur, in qua CHRISTUM omnesq; eos, qui nomen CHRISTI profitentur, dirissimè Diris devovent. *Vide Synagog. Judaicam cap. 5.*

XLV.

Quartum & ultimum de promimus ex versiculo capituli octavo & undecimo, sic inferentes: 4

Is, de quo Propheta sermo est: non modo moriturus dicitur: sed etiam ex mortuis resurrecturus, adeoq; post resurrectionem, filios quamplurimos geniturus.

Sed istud de Iudæis pronunciari nequit.

Ergo.

XLVI.

Et sic fuit *δειξις ἀποφατικῆ*: sequitur *κατὰ Φαλινῆ* ex proprijs eorum monumentis brevi leviq; filo subtexenda.

XLVII.

Inter hæc autem primas tenet *Thargum*, id est, *Paraphrasis Chaldaica* librorum Veteris Testamenti, *Posterior* re- quam Ionathan filius Uzielis, Auditor Hillelis, *quadra-* *futatio Lex* *Thargum.* *ginta* annis, ante *nativitatem CHRISTI*, edidit. II.

B 2

Estq;

XLIIX.

Estq; tantæ apud Judæos autoritatis, ut nemo eorum illi contradicere auserit.

XLIX.

Inibi verò & Messia nomen διαφήδην exprimitur, & officium ejusdem graphicè depingitur.

L.

Nomen Messia bis exprimitur: semel ab initio, & adhuc semel versu 10. illius capitis, juxta Lutheri distinctionem.

LI.

Initium capitis sic habet:

הָא יִצְלַח עֲבָרֵי מְשִׁיחָא יִרְאֶם וַיִּנְטֵר וַיִּתְקַח לְחַרְוֵהוּ :

id est:

Ecce prosperè aget, servus meus MESSIAS, exaltabitur, & elevabitur & confortabitur valdè.

LII.

Versu autem decimo hæc extant verba:

יִחֲזֹק בְּמַלְכוּתוֹ מְשִׁיחָהוּן :

id est:

Videbunt regnum MESSIÆ sui.

LIII.

Officium porrò Messia, in eadem paraphrasi, per totum caput, perquam graphicè depingitur, sicut plurimorum versuum ἐπιγραφήν ad oculum ostendit Galatinus, tandemq; universalem hanc subnectit conclusionem:

Ex hac igitur Chaldaica translatione palàm ostenditur: predicta omnia Esaia verba ab exordio usq; in finem, alijs nemini, quàm ipsi Messia rectè competere posse, lib. 8. cap. 16.

Proxi-

LIV.

Proximum, à Paraphrasi Chaldaica locum assignamus Rabinis Iudæorum antiquioribus tum ante tum post Nativitatem CHRISTI.

II.

Ex Rabinis tribus exemplis.

LV.

Hi namq; & ipsi Prophetiam illam Esaia non nisi de ipso Messia exponunt; sicut iterum Galatinus *ἐπισημαίνων* demonstrat tribus exemplis.

libr. VIII. c. 15.

LVI.

Primum sumit ex R. Salomone sic scribens: *Sicut ipse quoq; R. Salomo apertè testatur, dum ipsa exponens, super illud: Ecee intelliget servus meus, cum reliquis, sic ait: Magistri nostri totum hoc de Messia intelligi affirmant.*

I.

LVII.

Secundum petit ex R. Mose Hadarsan, qui in expositione Libri Geneseos in illud cap. 24:

II.

(וַיְבִיאָהּ יִצְחָק הַאֵהֶלָה שָׂרָה אִמּוֹ)

Et introduxit eam Iizchak in tabernaculum Sara matris sue.)

sic commentatur, referente ibi Galatino:

Hic est Rex MESSIAS, qui fuit in generatione impiorum, & reprobatit eos, & elegit DEUM sanctum & benedictum, & nomen sanctum ejus, ut coleret eum toto corde. Deditq; cor suum ad petendas miserationes pro Israel, & ad jejunandum & ad humiliandum se pro eis. Sicut dictum est Esa. 53. c. Et ipse vulneratus est, propter culpas nostras, contritus propter peccata nostra. Disciplina pacis nostræ super eum.

LVIII.

B 3

Tertium

L VIII.

Tertium adducit ex libro Sanhedrin capite Helec ita scribendo pergens:

Scriptum prater ea est in libro Sanhedrin cap. Helec.

Quod ex domo R. id est, à discipulis R. dictum fuit; Quod languidus est nomen Messia, juxta illud Esa. 53. dictum, Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros sustinuit. Ibidem quoque legitur quod dixit R. Si Messias de vivis est: ipse est sicut Magister noster sanctus, Si verò de mortuis, est sicut Daniel vir desideriorum. Vbi glossa R. Salomonis, Si Messias est (inquit) de illis qui adhuc vivi sunt, in veritate est, sicut Magister noster sanctus Ipse enim languores nostros sustinuit, & sanctus fuit, Si verò de illis, qui jam mortui sunt. Ecce ipse fuit, sicut Daniel vir desideriorum, qui adjudicatus fuit passionibus in lacu leonum & sanctus & perfectus, ac princeps fuit.

L IX.

III. Ex
Thalmu-
distis.

Postremò huc referimus Thalmudistas, de quibus in Synagoga Judaica hac memoriæ prodita extant:

Thalmudista scribunt, quod (Messias Ben-Ioseph) Roma sub porta inter egros lepraq, infectos sedeat, ad caput Esaiaæ Prophetæ 53. ubi scriptum legitur, quod omnium abjectissimus sit, & mortalium indignissimus, dolorum & morborum plenissimus, respicientes. cap. 36.

L X.

Occurritur
objectionib.
Iudaorum.

Et hætenus quidem vidimus propria Adversariorum testimonia, quæ singula & universa ομοθυμαδον demonstrant: Caput Esaiaæ L II I, nemini alij, præterquam soli CHRISTO, applicari posse.

L X I.

Ceterùm non immerito miretur quispiam, quæ causa sit, ob quam Recentiores Hebræi caput illud Esaiaæ sæpius nominatum de MESSIA nolint interpretari- 62.



LXII.

Dicimus uno verbo. Vident Christianos indè probare, quòd CHRISTUM oportuerit crucifigi & cruento mortis supplicio è medio tolli.

LXIII.

Istud verò abominatio abominatum ipfis videtur; ac proinde si quando CHRISTUM fædissimè blasphemare voluerint; tum solent eum *וְהָרְגוּ*, id est, *suspensum* appellare *ex Dent. 21. vers. ult.*

LXIV.

Sed quòd MESSIAS omninè cruci affigendus, eruditè adversus Judæos disputat Galatinus *ex Psalmo 22.*

Lib. VIII. c. 17.

LXV.

Ibi versu 17. legitur *וְהָרְגוּ* quod *αυτολεξι* sonat, *sicut Leo.*

LXVI.

Atqui ex *συνεπεια* textus Sole claritè apparet, quòd *το* *וְהָרְגוּ* scriptum sit pro *וְהָרְגוּ* id est, *perfoderunt*, scilicet manus meas & pedes meos (in actu crucifixionis.)

LXVII.

Et hanc scriptionem, *εν τῆς περισῆας*, Autor ille doctissimus evincit, tum ex *interpretatione Septuaginta:* tum ex *translatione Chaldaica*, qua Indi & Aethiopes utuntur, quæq; sic habet:

Canauuni oyoviyá vaogarya

Id est,

Vulneraverunt & foderunt manus meas, & pedes meos.

LXVIII.

Neque verò ulla in DEO Patre fingi potest ac debet ab humana Ratione, crudelitas, quòd FILIUM suum unigenitum in cruentam & abominabilem crucis mortem tradiderit.

Mortem

LXIX.

Mortem enim istam voluit *non ut mortem* aut cruciatum FILII: sed ut *λύτρον* perfectissimum pro universo genere humano, ab eo *non invito*: sed ardentissimo amore erga genus humanum pariter flagrante persolutum.

LXX.

Atque hæc sunt, quæ Judæis prophetiam Esaiæ de passione & morte CHRISTI absurdè interpretantibus opponenda sunt.

LXXI.

Antequam verò ulterius nostra provehatur Disputatio: obiter utique, & *ὡς ἐν παρόδῳ, ὑπομνήματα* quædam in gratiam Sacrosancti Ministerij Candidatorum, eorum præsertim, qui cum DEO & tempore docendi munere functuri, ijs in locis, ubi vel intra vel extra mænia Judæi agunt, adscribimus.

6. ὑπομνήματα πρὸς κληρὸς de Iudeorum conversione.

LXXII.

I. Humaniter tractent illos homines, ut videant pio & sincero affectu conversionem eorum desiderari.

LXXIII.

Aliàs non zelo DEI: sed odio gentis suæ illud fieri inveteratâ opinione sibi persuadent.

LXXIV.

II. Messiam jamdudum fuisse exhibitum ostendatur ex Chronologia & devastatione Urbis Hierosolymæ & Templi, quod juxta *Haggæum* NOVISSIMUM esse debuerit: *Hag. 2.*

LXXV.

III. Ex Mose & Prophetis, *ἐπαγωγῆ γνώρισμάτων*, quæ MESSIÆ inibi tribuuntur, perspicuè demonstratur: MESSIAM jam exhibitum, neminem esse alium præter JESUM Nazarenum, ex Maria semper-Virgine natum.

76. IV. Hoc

LXXVI.

IV. Hoc factum demum, de ceteris Religionis articulis, cum illis amicè & placidè conferatur.

LXXVII.

Quòd si ordinem istum inverteris: oleum simul & operam perdidideris.

LXXIX.

V. Auditores insuper quisque suos hortetur, ne vitæ morumq; turpitudine & perversitate, aut dominatione tyrannicâ, scandala Judæis ponant.

LXXIX.

Dici enim vix potest quantopere & Papistarum idolatria, & nostrorum hominum ἀσελγεία offendantur.

LXXIX.

VI. Interponantur apud DEUM preces assiduæ pro eorum conversione, conceptâ spe indubiâ, eas nequam irritas & infrugiferas fore.

LXXIX.

Ira enim vaticinatur Apostolus:

Non enim volo vos ignorare fratres mysterium hoc, ut ne sitis apud vosmetipsos elati animo, quod excecatio EX PARTE Israel accidit, DONEC plenitudo gentium ingressa fuerit &c. Rom. 11.

LXXIX.

Cetera, inter disputandum, datâ & oblatâ occasione ζῶν τῷ Θεῷ, monebimus.

III.

Christianorum interpretatio.

LXXIX.

Tempus est, ut à Judæis transeamus ad Christianos, qui una tam mente quàm voce constanter & intrepidè asseverant: ὡς οἱ μὲν οὖν &c. idque proprium &

C

ver=



vernaculum, Cap. LIII. Esaiæ, solum & unicum esse *JESUM*
CHRISTUM pro nobis passum, mortuum, sepultum & resuscitatum.
XXCIV.

De his enim illius *ἀποτελέσμασι* tam clarè & luculenter inibi differitur, ut Esaias magis Evangelistam agere, quàm Prophetam, omnium rectè sentientium iudicio, statuatur.
XXCV.

Sufficiat, *ἐν τῷ παρόντι*, vel unius saltem Lutheri auctoritas, qui in Commentario suo in Esaiam caput illud exponens sic ait:

Est vix alius locus in tota Scriptura apertior tum de passione CHRISTI: tum etiam de resurrectione,

Tom. III. Jen. Lat. f. 407.

XXCVI.

Eò etiam maximè respicit Hieronymus, dum Esaiam non solum Prophetam: sed etiam Evangelistam & Apostolum appellare non dubitat
in proem. in Esaiam ad Eustoch.

IV.

Fundamenta Christianorum.

XXCVII.

Fundamenta porrò Christianorum quod attinet, quibus sententiam suam de isto *ὑποκειμένῳ γένει* Capitis LIII. superstruunt: eorum jam potissima duo, *παχυλῶς καὶ ὡς ἐν τύπῳ*, delineare non morabimur.

XXCIX.

Prius est Apostolorum *CHRISTI* auctoritas, qui quippe caput istud directè & diserrè de *CHRISTO* interpretantur, sicut docent exempla allegationum in Scriptis eorum obvia.

Poste-

Duo funda-
mentorum
genera.

1

3

1. Posterio rem partem versus 15. *Quia quibus non est narratum de EO: viderunt; Et qui non audierunt: contemplati sunt: de CHRISTO allegat Paulus ad Rom. 15.*

Alacriter, inquit, Evangelium predicavi, non ubi nominatus fuerat CHRISTUS, ne super alterius fundamento edificarem: sed sicut scriptum est: (loco scilicet citato apud Esaiam) quibus non est nunciatum de EO, videbunt; & qui non audiverunt, intelligent.

XCI.

2. Versum 4: *Verè languores nostros IPSE tulit, & doctores nostros IPSE portavit* Matthæus ad CHRISTUM accomodat c. 8, dum ait:

Cum autem appetiisset vespera: adduxerant illi demoniacos multos, & eiecit spiritus verbo, omnesq; male habentes sanavit, ut IMPLERETUR, quod dictum erat per Esaiam Prophetam, cum ait: Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos portavit.

XCII.

3. Versum 7. & 8: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussus eum.*

Philippus (Diaconus) de CHRISTO interpretatus est, teste Luca, Act. 8. hisce verbis:

Aperiens Philippus os suum & incipiens à SCRIPTURA ISTA (scilicet Esai. c. 53. 7, & 8. ut patet ex præcedentibus) predicavit illi (NB.) JESUM.

XCIII.

4. Verba hæc ex versu 9: *Eò quòd iniquitatem non fecerit,*

ccrit, neq; dolus fuerit in ore ejus: Petrus itidem CHRISTO applicat I. Epist. 2. dicens:

*Siquidem in hoc vocati estis, quoniam & CHRISTUS afflic-
tus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut in se-
queremini vestigia ejus, qui peccatum non fecerat,
nec inventus est dolus in ore illius.*

XCV.

5. Quod dicitur vers. 12. cum sceleratis reputatus est: id Marc. 15, & Luc. 22. pariter ad CHRISTUM refertur:

XCV.

Marci c. 15. extat:

*Cum EO crucifigunt duos latrones, unum à dextris, & al-
terum à sinistris ejus. Et IMPLETA EST SCRIPTURA, qua
dicit: Et cum iniquis deputatus est.*

XCVI.

Luca verò c. 22. ipsemet Salvator ait:

Dico enim vobis, quod adhuc hoc quod scriptum est, oportet perfici IN ME. Et cum iniquis deputatus est.

XCVII.

II. *Posterius fundamentorum genus suppeditat comple-
menti illius vaticinij παναρμοניה & cōcinnitas tam cla-
ra & illustris, ut meridianum Solis jubar clarius & illu-
strius esse nequeat.* XCIIIX.

Posset id ad oculos monstrari quam plurimis Histo-
riæ Evangelicæ exemplis, si tempus ferret, & necessitas
postularet.

CONCLUSIO.

XCIX.

Jam concludimus isthanc dissertatiunculā quam in-
stituere libuit: tum, ut ψευδοδοξία Judæorū refutaretur
accuratius: tum ut ορθοδοξία CHRISTIANORUM stabilire-
tur firmius.

C.

*Τῷ Θεῷ ἐν τρισσοῖσιν ἀνοιγομένῳ Φαέεσιν,
Νῦν μεγάλη ἔστω ἡ ἀπὸ τοῦ εὐλογίη*

F I N I S.

Umg. VI 18

ULB Halle 3
003 018 784




Sb.

Relio
VD 17

III







נבד

DISPUTATIO I.
IN CAPUT LIII.
ESAIÆ,
*In qua Controversia, de SVBIECTO
capitis ADEQVATO, contra Judæos, discu-
rienda proponitur,*
In Electorali ad Albim Academia,
ANTORE AC PRÆSIDE
IOHANNE FORSTERO
S S. Theologiæ Doctore & Pro-
fessore publico.
RESPONDENTE
M. IOHANNE ECCIO
Suinfurtensi, Fr.
ad diem 29. Augusti horis locoq; consuetis.

WITTEBERGÆ,
Typis Joh. Gormanni, Anno 1610.